

19.

DISPUTATIO JURIDICA
De
SPONSALIBUS
SINE TESTIBUS
CONTRACTIS,

von Verlobnissen / so ohne Zeugen
vollenzogen /

P. 394
Quam
AUXILIANTE DIVINI NUMINIS GRATIA,
CONSENSU
AMPLISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ
in

CELEBERRIMA ACADEMIA ROSTOCHIENSIS
PRÆSIDE
VIRO Consultissimo atque Excellentissimo Domino
CASP. MATTH. MULLERO,
U. J. D. ET PROF. INSTITUT. PUBL. DUCAL.

ORDINARIO
famigeratissimo
DOMINO PATRONO AC STUDIORUM PROMOTORE

ETATEM DEVENERANDO.
IN AUDITORIO MAJORI
Ad d. Novembr. A. 1701.

Publicæ Eruditorum Disquisitioni submittit

Christian Friedrich Grampi

Lind. Pom.

ANNO 1706.



DIES PONTIFICIS IURIDIC

SPOLVIA ARIENS
SINE ESTIBUS
CONIBUS
admodum deinde

admodum deinde

admodum deinde

admodum deinde

admodum deinde

CARDI MATTIA TULLIO
UT DILECTIONE

admodum deinde



PROOEMIUM

Um abitum ex hac Academia meditarer,
de Specimine quodam Academicō cogitare
cœpi, memor iūtius legis, quæ sine eo quem-
quam hicabire vetat; Varia hic se offerebat
occasio, sed imbecillitatis meæ, quæ ab ini-
tio à proposito quin plane deterreret, parum
aberat, mihi probe conscius, eam eligere vo-
lui quæ sua se quidem commendaret utilitate, vires vero &
leves, quos in jure feci, profectus non transcenderet: Hic
vero deīnum fluctuare imo pene desperare cœpi, cui enim
materiæ elaboranda sufficerem, qui in primis Legum ve-
stibulis stans, ad arcana quidem juris proprio, sed primitiis
rerum nondum imbutis formam legum pulcherrimam
non conniventibus oculis accipere nequeo? vid. *Constitutio*
Tanta de Confirm. Digest. §. 11. Sed in re ardua tentasse suffi-
cit; ex materia proinde matrimoniali à proposito quamvis
meo maxime aliena, thema quoddam eligere placuit: Ubi
quidem ab initio de Sponsalibus clandestinis dicere consti-
tueram, sed cum hæc materia nimis prolixa videretur, al-
teramque ejus partem de Sponsalibus scilicet ob defectum

PROOEMIUM.

consensus paterni clandestinis haut ita pridem in Dissertat. de necessitate Consensus paterni in Nuptiis liberotum tractaverit Excellentissimus DN. D. SCHÖEPFFER , alteram elegi partem de Sponsalibus sine testibus contractis indeque invalidis: Errabo, fateor, sed errantem corrige L. B. corrigentem audiam : errare enim humanum , sed errare à se alienum putare , & in pectoris sui scrinio omnia iura reposita esse existimare absurdum est. Duo vero hujus Dissertationis erunt capita , in primo Rubrica explicabitur , & an & quatenus absentia testium Sponsalia reddat invalida; in secundo vero, quomodo eadem convalidentur, exponetur. Summum autem Numen submissis veneror precibus, velit sua gratia huic adesse labori, quo ut cætera studia mea, ita & hæc Dissertatio felix habeat initium , feliciorem progressum, & felicissimum tandem sortiatur finem.



CA-



CAPUT PRIMUM.

Probans

Sponsalia ob defectum Testium. invalida esse.

S U M M A R I A

M atrimonium non est Sa-		<i>An ebrius?</i>	14
cramentum,	1	<i>Impuberis possunt contrahere</i>	
Non est singulis imposita necessitas		<i>sponsalia</i>	15
matrimonium contrahendi	2	<i>Non tamen septennio minores</i>	16
Definitio Nuptiarum remissive	3	<i>Nisi puberes facti consenserint</i>	17
Inter Sponsalia & nuptias spati-		<i>Limit. in filius Regum,</i>	18
um non nimis longum interre-		<i>Malitia non supplet hic etatem</i>	19
dere debet.	4	<i>Quo respectu omnia sponsalia</i>	
Quot modis accipiatur vocab.		<i>sint de futuro</i>	20
<i>sponsalia?</i>	5	<i>Jure Canonico quaedam sunt de</i>	
Quid sint Sponsalia?	6	<i>futuro, quaedam de praesenti</i>	21
Unde dicantur sponsalia?	7	<i>Lutheri de hac distinctione judi-</i>	
Sponsalia per stipulationem fiant	8	<i>cium</i>	22
Sponsalia etiam inter absentes		<i>Differentia sponsaliorum à ma-</i>	
contrahuntur	9	<i>trimonio</i>	23
Quinam possint sponsalia contra-		<i>D. D. Strykii bac de distinctione</i>	
here?	10	<i>opinio</i>	24
<i>An furiosus?</i>	11	<i>Sponsalia sunt vel publica, vel</i>	
<i>An furor superveniens solvat</i>		<i>clandestina</i>	25
<i>nuptias & sponsalia?</i>	12, 13	<i>Clan-</i>	

SUMMARIA.

<i>Clandestina quotuplicia sint?</i>	26	<i>Domestici non possunt esse testes</i>	
<i>Effectus sponsaliorum,</i>	27		48
<i>Quaenam inde actio?</i>	28	<i>Quid in matrimonialibus obti-</i>	
<i>Olim in sponsalibus paenitere li-</i>		<i>neat sub distinctione exponi-</i>	
<i>cetab.</i>	29	<i>tur</i>	49
<i>Quod hodie secus.</i>	30	<i>Quaenam sit causa propria?</i>	50
<i>Ex pacto etiam praeparatorio</i>		<i>Ascendentes quando in matri-</i>	
<i>contractus hodie datur actio</i>	31	<i>monialibus testari possint?</i>	51
<i>Etiam conditionalis promissio</i>		<i>In quibusdam locis praeter pa-</i>	
<i>impedit paenitentiam</i>	32	<i>rentes, alii requiruntur testes</i>	
<i>An sponsalia pura praferantur</i>		<i>in sponsal.</i>	52
<i>conditionatis?</i>	33	<i>Horum tamen omissione non statim</i>	
<i>Pana eorum qui sponsalia im-</i>		<i>vitiatis sponsalia</i>	53
<i>plerre recusant</i>	34.35.36.37	<i>Sponsalia clandestina ideo non</i>	
<i>Quaenam dicantur sponsalia</i>		<i>sunt quia testes uni contra-</i>	
<i>sine testibus contracta?</i>	38	<i>bentium tantum conjunctis</i>	54
<i>Quotnam testes ad sponsaliare-</i>		<i>Quid Rosochii bac in parte ob-</i>	
<i>quirantur</i>	39.40	<i>servatum?</i>	55
<i>Sponsalia clandestina sunt, si</i>		<i>Sponsalia sine testibus contracta</i>	
<i>unus tantum testis interve-</i>		<i>jure naturali & divino va-</i>	
<i>merit</i>	41	<i>lent</i>	56
<i>Numerus pluralis duo requirit</i>		<i>Gentium plerarumque moribus</i>	
<i>42</i>		<i>eadem non valent</i>	57
<i>Confirmatur per Ord. Eccl. Sa-</i>		<i>Rationes hujus rei afferuntur</i>	
<i>xon.</i>	43	<i>58.59.60</i>	
<i>Quotuplices sunt testes?</i>	44	<i>Probatur ex Constitut. Meckl.</i>	61
<i>Sponsalia clandestina sunt, si te-</i>		<i>Brandenburgica</i>	62
<i>stes inuidonei interveniant</i>	45	<i>Saxonica</i>	63
<i>Ascendentes & descendentes te-</i>		<i>An recte Princeps Sponsalia</i>	
<i>stes esse non possunt</i>	46	<i>clandestina prohibeat</i>	64
<i>Eratres quando admittantur ad</i>		<i>Quid si Juramento confirmata?</i>	
<i>testim. dicendum?</i>	47	<i>65</i>	

S U M M A R I A.

Ex sponsalibus clandestinis nulla obligatio	66	Sponsalia clandestina locum faciunt repudio	68
Sponsa clandestina per vim ablatata non restituenda.	67	Confirmatur praejudicio	69

Matrimonium rem esse sanctissimam, cum DEum auctoritate habeat, Carpz. p. 4 const. 20. Def. 7. nemo sanus dubitat. Neutquam tamen inter sacramenta referendum, ut ex Pontificis inter alios opinionem hanc late defendit Bellarm. Tom. 3. p. 324. & seqq. refutatus a Gerardo de Conjug. §. 14. cum non sit in novo testamento institutum, nec Christianorum proprium Excell. Dn. D. Stryk. in not. ad Jus Eccles. Brunnemann. L. 2. c. 1. memb. 4. §. 6. est enim matrimonium Juris Naturae, non tamen ita præceptivi, ut singulis obligatio ad contrahendum hodie imposita sit, si ad exigendum castum coelibatum aptus, Puffend. de Offic. Hom. & Civ. L. 2. c. 2. §. 2. bruta quoque animalia ex instinctu naturali ad hanc conjunctionem feruntur pr. J. de Jure N. G. & C. sed bruta appetunt hanc conjunctionem maris & feminæ subratione tantum jucundi, seclusi in hominibus, qui in timore DEI ad hanc rem sanctissimam accedere debent: inde non statim ad concubitum properandum, ne & hic concubitus in bestialem degeneret, sed postquam de matrimonio ineundo inter partes conventum, aliquod spatium inter hanc conventionem, quam sponsalia forte dixeris, & matrimonium intercedere debet, honestas enim, quæ in hac corporum conjunctione attendi debet, non permittit, ut statim ad concubitum effreni libidinis impetu proruant conjuges. Theod. Beza Tr. de Repud. divort. in pr. Alberic. Gentil. L. 2. de Nupt. §. 2. inde Nuptias quarum definitio nem tradit Imp. in §. 1. J. de Patr. Potest. & JCtus in l. 1. ff. de Ritu Nupt. regulariter præcedere solent Sponsalia. Ille rituum quippe est, ut jam pactæ Sponsæ non statim tradantur, ne vilem habeat maritus datam, quam non suspiraverit sponsus dilatam.

in-

- institutum c. 27. qu. 2.* quamvis necessum non sit longum aliquod spacium inter sponsalia & Nuptias intercedere, imo ne 4. id siat, utile videtur, vid. quæ hac de re scriptis Excell. Dni. Praefidis Pater pie defunctus in *Tr. von ungerathener Ehe* pag. m. 342. imo sacram si consilueris historiam, Sara videtur eodem die Tobiae & despontata & nupta, quamvis moribus, ubi proclamatio regulariter tria & benedictio Sacerdotalis præcedit, longius aliquod requiratur spacio; Et de his Sponsalibus nunc acturi, ne illotis, quod ajunt manibus ad rem ipsam accedamus, juxta monitum JCT*i* in *L. 1. ff. de O. 3.* circa nominis notationem quædam præmitteimus, non uno autem modo vocabulum Sponsaliorum in jure nostro accipi probatur per *Rubr.*
5. *C. si Rector Provinciae vel ad eum pertinent. Sponsal. deder. ubi per Sponsalia noua ea intelligi de quibus nobis hic sermo, sed arrhas sponsalitas, probat L. un. C. eod. ibique Godofr. in not. imo & Sponsalibus adhiberi solita convivia sponsaliorum nomine venire vult Cypr. de Sponsalibus c. 2. §. 1. n. 16. nobis notant re promissionem futurarum nuptiarum, prout hoc sensu 6. definiuntur a JCT*i* in *L. 1. ff. de Sponsal.* quod sicut mentio & re promissio futurarum nuptiarum, quæ definitio ut eo melius intelligatur, sciendum est, sponsalia dicta esse a Spondendo, nam moris fuit veteribus stipulari & spondere sibi uxores futuras juxta *L. 2. ff. de Sponsal.* qui uxorem ducturus erat, ab eo unde 7. ducenda erat stipulabatur, eam in matrimonium ductumiri, qui ducturus erat, itidem spondebat, inquit *Gell. L. 4. c. 4.* ad hunc morem veterum respicit illa definitio sponsaliorum supra allata. Per mentionem intelligitur ibidem interrogatio, die *Eheverbung* per re promissionem vero responsio, die *Zusage* / *Hopp.* in *Comment. ad pr. 3. de Nupt.* sunt quidam, qui loco vocabuli *mutua* substituunt vocem *mutua*, propterea quod Sponsus & Sponfa invicem sibi promittant futuras nuptias, sed nihil hic immutandum censemus cum *Strauch. Diff. 2. §. 5.* ubi solen-*

solemnitatem verborum hodie sublatam esse cum Doctorum
 communii asserit Schola, quamvis etiam Jure Civili eam postea
 remissam esse satis appareat ex L. 2. ff. de Sponsal. quapropter ⁹
 per internuncium etiam & epistolam contrahebantur Sponsa-
 lia L. fin. ff. de Sponsal. cum stipulatio necessario requirat par-
 tium praesentiam, nec inter absentes fieri possit §. II. 7. de inutil.
 Stipul. L. I. §. I. ff. de Verb. Obl. quorundam JCtus in d. L. 2. respi-
 cit, quando veteribus moris fuisse dicit, futuras sibi stipu-
 lari uxores, postea vero natus consensus ad constituenda
 sponsalia sufficere coepit. L. 4. ff. de Sponsal. sicut in nuptiis stipu-
 latio nunquam necessaria fuit, Excell. Dn. D. Stryk. de Dis-
 sensu Sponsalitio Sect. I. §. II. ex quo simul apparet, quod qui- ¹⁰
 cunque alias contractus inire & pacisci prohibentur, etiam
 sponsalia contrahere impediantur; ita furiosus ad sponsa-
 lia admittendus non est, id quod absque dubio procedit, si ¹¹
 tempore furoris sponsalia contracta, nam quod tempore
 dilucidi intervalli gerit, non vitiatur arg. §. I. 7. Quibus non
 est permis fac. Testam. L. 6. C. de Curat. furios. post matrimo- ¹²
 niūm contractum superveniens furor illud non viciat. L. 16
 §. 2. ff. de Rit. Nupt. Secus in Sponsalibus, quæ ob furorem ¹³
 supervenientem dissolvuntur, si hic immedicabilis. Carpz.
 L. 2. Def. 182. idem de ebrio dicendum, qui furioso compara- ¹⁴
 tur, si ebrietas tanta, ut exilium mentis inducat, Carpz. Lib.
 2. Def. 31. qui enim consentire non possunt, hi sponsalia quoque
 contrahere nequeunt, in imputere hoc speciale, quod quam- ¹⁵
 vis contrahere non possit, nisi cum tutoris autoritate, si in-
 fantia major & se obligat, pr. 7. de Authorit. Tutor. Sponsalia ta-
 men contrahere non prohibeatur, L. 14. ff. de Sponsal. c. 4. & 5. X.
 De desponsat. Impub. nec Tutoris Authoritas nisi de honestate
 hic requiritur, Lauterb. ad Tit. de Sponsal. quod si septennio mi-
 nores sint, non valebunt sponsalia, nec licitum est parentibus ¹⁶

16 puerulas suas in cunabulis filiolis dare. *Can. I. c. 20. qu. 2. Cypr.*
de Sponsal. c. 9. §. 3. n. 2. nisi postquam ad annos discretionis
 pervenerunt, consentiunt *Harpr. ad Rubr. J. de Nupt. n. 8.* pro-
 pter *Can. un. c. 30. qu. 2.* ibi: qui pueris dant pueras in cunabi-
 lis, & è converso, nihil agunt, nisi uterque puerorum, post-
 quam ad annos discretionis pervenerint, consentiant, add. *cap.*
 2. *X. De Desponsat. impub.* ex urgentissima tamen necessitate v. c.
 18 pacis gratia si Reges aut Principes liberos illustres etiam in cu-
 nabulis despondeant, firma erunt sponsalia, nec liberi, quam-
 vis annos discretionis adepti fuerint, ab iis recedere possunt:
 exempla recenset Myler ab *Ehrenbach de Ganolog. Princip. c.*
 4. n. 16. nec eadem hodie incognita sunt: extra hunc neces-
 sitatis publicae casum non valebunt sponsalia à septennio mi-
 nore contracta, quia quid agatur non intelligit. Sed quid si ma-
 litia ætatem suppleat, & non tantum Judicio sed & viribus &
 potentia coeundi ætatem prævertat? exempla talia exstare
 probat Hopp. *ad pr. J. de Nupt.* ut proinde ob cessantem legis
 rationem etiam prohibitio cessare debeat; sed contraria opinio
 verior, quia ratio nondum in universum cessat, quo casu tamen
 regula prædicta tantum locum habet, nec argumentum à Nu-
 ptis, ubi malitia ætatem supplet, hic valet, per tradita *Harpr.*
ad Rubr. J. de Nupt. n. 14 & seqq. quod si ergo impubes sponsalia
 contraxerit, obligant impuberem, non etiam puberem, pubes
 enim factus ab iis recedere & alia inire potest. Additur vero in
 definitione, quod sponsalia sint mentio & re promissio futura-
 rum Nuptiarum, respiciunt enim omnia sponsalia futurum ma-
 trimonium: in præsens quidem dirigitur consensus sponsaliti-
 us, alias tantum pacta de sponsalibus forent, sed finis & effectus
 hujus consensus est obligatio ad matrimonium de futuro
 contrahendum, seu sponsalia omnia de præsenti sum ratione
 actus spondendi, de futuro autem ratione executionis, ut ele-
 gan-

ganter loquitur Strauch. *Diss. 2. tb. 6.* Jus Canonicum autem in cap. pen. X. de *Sponsal.* sponsalia distinguit, quod quædam sint de futuro, quædam de præsenti, illa vocantur, quæ sunt verbis futuri temporis, accipiam te in uxorem, haec, quæ sunt verbis præsentis temporis, accipio te in uxorem, Lauterb. ad tit. ff. de *Sponsal.* Hopp. ad pr. f. de *Nupt.* Sed hanc distinctionem primus omnium impugnavit Lutherus in *Libell.* von Chesachen Tom. 6. Witteberg, fol. 260. propterea quod in lingua Germanica non satis accurate distinguuntur verba de futuro à verbis de præsenti, ita vero ille i. e. Gleichwie sie auch ein lauter Narr espiet getrieben haben cum verbis de præsenti vel de futuro, damit haben sie auch viele Ehe zerrissen die nach ihren Rechten gegolten haben / denn diese Worte: Ich will dich zum Weibe haben / oder ich will dich nehmen / ich will dich haben / und dergleichen / haben sie gemeinlich verba de futuro genannt / und für gegeben / der Mann sollte auch sagen accipio te in uxorem, ich nehme dich zu meinem Weibe / und haben nicht gesetzen / daß dieses nicht im Brauch ist Teutsch zu reden / wenn man de præsenti redet / sondern das heisset de præsenti geredet: Ich will dich haben / darum redet kein Mensch Teutsch von zukünftigen Verlobnissen / wenn er sagt ich will dich haben oder nehmen: hujus vestigia postea presserunt alii, & hanc Canonistarum distinctionem acriter impugnarunt, eamque non alio sensu retinendam estimant, quam ut sponsalia de præsenti dicantur, quæ sunt puro & simplici consensu sive præsentis, sive futuri temporis intervenerint verba, de futuro autem, quæ sunt consensu sub conditione suspensi: nec est quod objicias, sic sponsalia de præsenti non differre à vero matrimonio, quod solo consensu, qui in illis etiam adest, perficitur. L. 30. ff. de R. f. distinguunt enim consensum matrimoniale & Sponsalitium, ille, non hic nuptias facit;

Lauterb. ad Tit. ff. de Sponsal. Unde vulgo Sponsalia, dicunt, sunt instar venditionis per consensum perfectæ, quæ jus in re non tribuit, quod per traditionem demum transfertur, cuius vices hic stabit consummatio matrimonii, per quam consequitur Sponsus jus in corpus & bona Sponsæ: fatis commode negotium componere videtur Excell. D. Stryk, in Tr. de Dissen-

²⁴ Sponsal. 8. 1. §. 25. seqq. ubi hæc tria distinguenda esse notat, an promittantur sponsalia, ich verspreche hiemit / daß ich mich mit sie verloben will / an nuptiæ, ich verspreche hiemit / daß ich sie heyrathen will / an in præsens consentiant matrimonium. Ich nehme sie hiemit zum Weibe / illo casu de futuro, isto casu Sponsalia de præsenti, hoc Nuptiæ contrahuntur. Quamvis enim hodie raro fiat, ut uno quasi momento sponsalia & matrimonium concurrat per supra tradita, non deesse tamen exempla plane illustria, ubi eodem die sponsalia & nuptiæ celebrata, docet idem Stryk. d. s. 1. §. 11.

§. II.

Sed nolumus his diutius immorari, pedem potius promoverimus ad aliam sponsaliorum divisionem, quando quædam dicuntur publica, quædam clandestina, illa sunt, quæ ²⁵ flunt cum consensu parentum & coram testibus Lauterb. ad tit. ff. de Sponsal. hæc iterum duplicitis generis sunt, quædam ²⁶ enim clandestina dicuntur ob defectum consensus paterni, & hæc ipso jure nulla sunt, consensus enim parentum ad Nuptias liberorum omni jure requiritur, quia plagium omnī jure prohibitum, hoc autem committunt illi, qui aliorum liberos non impetrato parentum consensu matrimonio sibi jungunt, Cothmann. Vol. I. Consil. 1. num. 172. & seqq. quædam vero dicuntur clandestina ob defectum testium, de quibus in hac Dissertatione acturi sumus, an & qualem producant effectum; ceterum ut de his dicenda eo melius intelligan-

gantur de effectu sponsaliorum in genere quædam præmit- 27
temus, consistit autem ille in obligatione ad consummandum matrimonium, vel interesse præstandum, quem infin-
item olim dabatur actio ex sponsis Gell. L. 4. C. q. quæ etiam 28
ex stipulatu vocari poterat per L. 19. §. 2. ff. de Adil. Edict.
quid ergo est, quod in L. 1. C. de Sponsal. dicitur, licere de-
sponsatae conditioni renunciare, & alii nubere? ex quo certo
certius colligitur, pœnitentiæ licentiam in sponsalibus per- 29
missam fuisse. Brunneim. add. L. 1. n. 3. de sponsalibus de futu-
ro id intelligendum esse existimat, quibus renunciare con-
cessum fuerit, cum tantum præparatio fint ad matrimoniu-
m, id quod concedimus, si nudo pacto sponsalia inita, hoc
enim, cum Jure Civili ad agendum efficax non sit. L. 7. §. 4.
L. 5. L. 27. §. 1. L. 41. & 45. ff. de Pact. nec dabit sponsio adver-
sus sponsum, vel contra, actionem; hodie ubi ex pacto nudo 30
datur actio, Carpzov. p. 3. C. 5. Df. 22. indistincte ex sponsalibus
quoque nascitur actio, etiamsi futura sint, Ich verspreche hie-
mit / dass ich mich mit sie verloben will. Stryk. de Diffens. Spon-
sal. Sect. 4. §. 27. in fin. & quamvis hoc pactum videatur tan- 31
tum preparatorium sponsaliorum, ex pactis autem præpa-
ratoriis contractuum nec hodie actionem oriri ex Carpzov.
p. 2. Conf. 33. Def. 23. statuat Lauterb. ad tit. ff. de pactis p. m.
75. Contraria tamen opinio ex quovis scilicet pacto etiam
præparatorio contractus si serio & deliberato initum, actio-
nem oriri verior est, Conf. Excell. D. D. Stryk. de Caute.
S. 3. C. 5. §. 4. Imo etiamsi sponsalia de futuro conditionata
dicere velis, neque haec omni obligatione destituuntur, ut ut
enim conditio suspendat actus perfectionem. L. 7. pr. ff. de C.
E. V. adeo ut pendente ea tantum spes sit debitum iri, §. 4.
7. De V. O. impedit tamen ea pœnitentiam; ut pendente con- 32
ditione neutri parti liceat recedere. L. 8. ff. de Peric. & com-
mod. reivend. & ita producit obligationem ad exspectandum

eventum conditionis; ex quo dependet decisio ejus quæstio-
nis, an si pendente conditione alia eaque pura contrahantur sponsalia, hæc existente quamvis conditione prioribus adjecta sponsalibus, præferenda tamen sint? affirmat Alber. Gentil. de Nuptiis L. 2. c. 12. p. 172. Sed rectius negatur,
 32 cum conditio postea existens retrotrahatur ad tempus con-
tractus L. 9. §. 1. & L. 11. §. 1. ff. Qui pot. in pign. Brunn. in Jur.
 Eccles. L. 2. c. 16. §. 15. ibique Stryk. in not. Carpz. L. 2. D. 21. neu-
 tiquam tamen cum his sponsalibus de futuro confundi debent
 tractatus sponsalitii, ex quibus nulla efficax oritur obligatio.
 Gerhard. de Conjug. §. 131. De validitate Sponsaliorum de præ-
 senti nemo dubitat, sunt enim hæc firmissima, & ratione in-
 dissolubilitatis matrimonio similia Carpz. p. 2. Df. 173. hincho-
 die partes ad consummandum matrimonium varie compel-
 luntur, mulctæ inductione, carcere Carpz. L. 2. Df. 123. & si in
 35 contumacia perseverent, separantur, & parti nocenti ad secun-
 da vota interdicitur transitus. Mev. p. 2. Dec. 383. Stryk. ad Jus
 Eccles. Brunn. L. 2. c. 16. §. 7. circa quam tamen interdictionem
 Judex caute versari debet, & attendere circumstantias, v. g. an
 persona talis sit, quæ continentiam servare non possit, quo ca-
 su, ne occasio gravioribus malis detur, non simpliciter inter-
 dicitur secundarum Nuptiarum licentia, sed donec aut pœni-
 teat, aut gratiam mereatur, nam sine speciali venia Magistra-
 tus aut Consistorii alias nuptias inire non licet, prout latius
 deducit Mev. p. 7. d. 359. aliquando hæc interdictio ad certum
 tempus fit, quod præjudicio illustrat Excell. D. Stryk. De
 Diffens. Sponsal. S. 2. §. 7. verba haec sunt: Weil Klägerin durch
 bewegliches Zureden wie auch durch aufgelegtes Gefängniz
 sich nicht bewegen lassen wollen / die mit Beklagten getroffe-
 nen Verlobung durch Priesterliche Copulation vollziehen zu
 lassen und aus fernern Zwang zu solcher Heyrath allerhand
 Unglück künftig zu befahren / so ist zwar die getroffene Ver-
 lobnis

lobmiz unter ihm zu dissolviren / es ist aber Klägerin dem Be-
flagten den empfangenen Mahlschaz her aus zu geben auch die
verursachte Umfosten denselben zu restituiren schuldig/ und ist
ihr dabein binnen 2. Jahr bey Straffsch an niemand anders
zu verloben/ auf zu legen. Ex quo insimul patet , quod pars
refractaria in expensas alteri parti condemnatur, sicut & de In- 37
juria tenetur. Mev. p. 9. Decis. 15. & postquam ob haric satisfa-
ctum , aliquando ex provinciarelegatur. Carpz. L. 2. Def. 134.
Cypr. de Sponsal. cap. 15. §. 6. & quamvis ita duplaci videatur
peña affici ob unum delictum , id quod iniquum , nulla tamen
remanet iniquitas , si modo consideraverimus quod duplex
hic adst delictum , aut certe unius duplex effectus , alter in
scandalo publico & dehonestatione matrimonii consistit , qui
vindicatur publica pena , alter in injuria sponsæ aut sponsō il-
lata , quem in finem comparata est in juriarum actio Mev. p. 8.
Dec. 42. ubi seq. Dec. 43. docet quod sententiæ ad observantia
voti nuptialis condemnantes si in expensas simul con-
tineant condemnationem , inter sponsum & sponsam graviora
excident odia.

§. III.

Sed hæc intelligenda volumus , si pars altera sine iusta
causa sponsalia per consummationem matrimonii implere
recusat , secus enim foret , si iusta adfuerit causa: quænam
autem iusta sint causæ nimis prolixum foret hic exponere,
hinc mittimus hæc visuri nunc an eundem effectum produ-
cant sponsalia sine testibus contracta , ubi necessario præno-
tandum erit quænam dicantur sine testibus contracta sponsa- 38
lia ? ad quod respondemus si vel plane nulli , aut non sufficien-
tes , aut inhabiles intervenerint testes: quotnam autem suffi-
cientes sint testes ante omnia ex cuiusvis loci moribus & con- 39
stitutionibus addiscendum , cum enim numerus testium ar-
bitrius sit , adeoque diversimode determinari possit , jura
cujus-

cujusque loci particularia ante omnia inspici debent, quod si numerus hic determinatus non sit, duo non videntur suffi-
 40 cere testes, clandestinum quippe est matrimonium, quod cum duobus tantum testibus contractum Socin. Jun. Vol. 2. Conf.
 86. num. 7. quod si enim actus consuevit fieri publice ut matrimonium, & aliquis contraxit coram duobus testibus, clam contraxisse dicitur, nisi ad minimum quinque testes adfuerint: Andr. Bart. in conf. 26. colum. 1. in pr. Libr. citatus à Ma-
 scard. de Prob. Vol. 2. concl. 1036. n. 5. sed non obstantibus his existimamus duos sufficere testes ad excludendum vitium clandestinatis, non tantum, quod in ore duorum vel trium omne verum consistat, Gerhard. de Conjug. S. 145. sed & quod plurium testimoniis numero duo duntaxat intelligantur.
 L. 12. ff. de Test. Joson. in autb. Quod sine C. de Testam. num. 2. Wesemb. conf. 17. n. 45. Hartmann. Pistor. 5. 1. qu. 2. n. 2. § 3.
 41 quod si ergo unus tantum intervenerit testis, sponsalia erunt
 42 clandestina, numerus enim pluralis vor ehrlchen Leuten/ uti plaeque constitut. Provinciales habent, duobus duntaxat contentus est, Carpz. p. 3. C. 15. Def. II. n. 4. nec unius testimonio statur, ne quidem in summariorum v. g. matrimonialibus Brunnem. ad L. 12. ff. de Test. num. 4. quod & clare dispo-
 43 situm est in Ord. Eccles. Saxon. § ord. matrim. de Anno 1624. sub
 tit. von Ehe= Sachen/ ibi: Wo auch zweye Personen sich
 ohne jemandes Beyseyn/ oder auch NB. in Gegenwart eines
 Zeugen allein miteinander in ein Eghelobniß einlassen/ so soll
 dasselbe vor ein heimlich Gelobniß gehalten werden. Carpz.
 L. 2. Dcf. 34. num. 2.

§. IV.

Sed an hi duo testes debent esse specialiter rogati? ubi testimonii dictio solemitatis est, rogatio necessaria videtur, ut in testamento L. 21. §. 2. ff. Qui Testam. fac. poss. L. 21. C. de Testam. ut hinc qui fortuito adsunt aut confluxerunt, non suffi-

sufficient, nisi præmoniti fuerint, add. Recess. Imp. de Anno 1612. tit. von Testamenten / & Rec. Imper. de Anno 1512. §. aber die Form / ibi: von sieben Gezeugen / NB. die dazt berufen und gebeten seyn sollen / Carpzov. P.3. C.3. Def. 33. quod si autem testimonii dictio est veritatis & ad probacionem actus requiritur, sufficient etiam non rogati testes, quis ad videndum committi homicidium testes specialiter convocabit? Sed qui fortuito adfuerunt, recte testari possunt. Hæc si ad sponsalia applicare velimus, ex infra dicendis apparebit, quod testes in iis aliquando solemnitatis causa adhibeantur, & ad excludendum vitium clandestinitatis, aliquando vero ad probandum cum negantur, illi tutius specialiter rogantur, & ita intelligendos putamus Doctores, qui testes in specie rogatos requirunt Cypræus de Sponsal. C. 14. §. 3. Mascard. de Probat. Concl. 1036. num. 6. Cephal. Cons. 503. num. 15. Sed ubi de probando eo quod clanculum actum est, quando ab altera parte negatur, agitur, sufficient alii etiam non specialiter rogati testes, ut si extra Cameram constituti audiant in camera sibi quosdam de præsenti matrimonium promittere, quamvis eosdem promittentes non viderint, valide tamen probant. Excellent. Dominus Stryk. in Tr. de Jur. Sens. Dissert. 3. C. 1. num. 17.

§. V.

Sed pergitur visuri qualitatem testium, seu an quorumcunque testium præsentia à vitio clandestinitatis purget sponsalia? non enim omnes testes ejusdem generis sunt & fidei, quidam enim idonei quidem sunt, sed non omni exceptione majores, quidam idonei & omni exceptione majores, quidam plane inidonei, illi dicuntur, qui jure quidem testimonium dicere non prohibentur, plenam tamen non merentur fidem, istorum fidem nihil est, quod infringat, hi autem jure testes esse prohibentur, ut hanc distinctionem contra alios, qui eam im-

C.

pu-

pugnant, defendit Mascal, de Probat. Concl. 1019. Crot. de Testib.
 45 num. 395. & 396. add. Lauterb. ad Tit. ff. de Testib. si plane inidonei ad sponsalia adhibeantur, adhuc pro clandestinis habentur, nam paria sunt testes nullos inducere, aut non habiles Farinac. de Testib. qu. 62. n. 19.

§. VI.

Sed quid si idonei quidem sint, non tamen omni exceptione majores? hi sane sufficere non videntur, cum in matrimonialibus etiam requirantur testes omni exceptione majores Socin. Jun. Lib. 2. Conf. 88. num. 9. Farinac. de Testib. qu. 62. n. 101. quorū sūspectat regula Doctorum, qui & ex quibus causis in reliquis contractibus & negotiis testes esse non possunt, hi etiam in sponsalibus recte recusantur, Cypr. de Sponsal. c. 14. §. 4. num. 1. quinam autem testimoniū dictione repellantur, nimis prolixum fore hic exponere: paucā tamen monenda erunt: fidem enim quorundam infringit (1.) Coniunctio, ita ascēdentes & descendētes, pro se & contra se testimonium dicere non possunt, L. 9. ff. & L. 6. C. de Testib. non tantum quod pater & filius habeantur pro una persona, cum vox patris sit tanquam vox filii §. 4. J. de Inutil. Stip. Farinac. de Testib. qu. 54. num. 145. sed & sola affectionis ratio fidem hujus Testimoniū infringit Carpz. p. 1. Conf. 16. Def. 48. n. 5. ubi n. 6. ex eadem ratione, & cum ad pejerandum faciliores sint mulieres, matrem repellit: Fratres autem & sorores ad testimonium admittunt Doctores, cessante patria potestate, bonorum communione & cohabitatione. Menoch. de Arb. Jud. Quest. cas. 104. in pr. Carpz. p. 1. Conf. 16. Def. 53. quamvis cogi non possint L. 4. ff. de Testib. Strauch. Dissert. 25. th. 17. ubi hoc ad affines extendit, conf. Brunn. ad d. L. 4. ff. de Testib. quorundam fidem minuit (2.) Vinculum domesticitatis, testari enim non possunt domestici, seu qui cum aliquo in eadem domo habitant, & quibus imperari potest, Lauterb.

ad

ad tit. ff. de Testib. p. m. 696. ex qua causa uxor pro marito. L.
10. C. de Re milit. Servi, liberti & hodie etiam mercenarii testimonium ferre prohibentur, proxeneta, qui in negotiis conciliandis ministerium suum accommodare solet Carpz. L. 2.
Decis. 147. Lauterb. *ad Tit. ff. De Proxen.* testis quidem esse potest, omni tamen exceptione major esse non videtur, Nicol.
de Repud. cap. 1. n. 52.

S. VII.

Idem num in matrimonialibus dicendum sit, nunc videbimus; duo autem distinguendi erunt casus, aut enim testes adhibentur ad probandum, cum negantur sponsalia, aut ex lege adhibentur ad solemnitatem sponfaliorum ne clandestina habeantur, priori casu & ad probationem ubi res in item venit, necessarii sunt testes, qui non suspecti, & tunc procedit regula superius tradita; ex quibus causis testes in aliis negotiis, ex iisdem in sponsalibus recusantur, sicut quoque hoc in sensu accipienda putamus illa Beati Domini D. Müller verba in *Tr. von ungerathener Ehe p. m. 325.* Wo sie aber sich mit einander heimlich verloben / kan niemand gewiss seyn / ob es wahr sey oder nicht / weil Mann und Weib (so auch Bräutigam und Braut) ein Leib und ein Mund sind auf welcher Zeugnis nicht zu bauen/ dergleichen gilt auch nicht von den Eltern so die alleine dabey gewesen / weil sie in eigener Sache nicht wohl können Kläger und Zeugen seyu/ cur autem parentes dicantur in *causa propria* testari, ejus ratio satis aperta est, dicitur enim *causa propria* ex qua sperat quis commodum Carpz. L. 3. *Resp. 58. n. 4.* Lauterb. *ad tit. ff. de Test.* vix vero fieri potest ut ex causa filii imprimis matrimoniali ad parentes non aliquod redundet commodum Carpz. p. 1. C. 16. D. 48. n. 4. & quamvis à regula quæ ascendentis à testimonio repellit, vulgo excipiant causas matrimoniales, in his ut & ætatis causa testimonium eorum admitentes propter c. 22. X. *de Testib.* V. Carpz. p. 1. C. 16. D. 49. Hahn, *ad Wesemb. Tit. de Testib.* Gabriel

briel de Testib. concl. 9. in ætatis quidem causa id facile concedimus, cum non alii, quam parentes hujus rei exactiorem notitiam habere præsumantur Farinac. de Test. qu. 54. n. 194. Carpz. p. 1. C. 16. D. 49. n. 4. in matrimonialibus autem non aliter hoc admittimus, quam si agatur de probando impedimento matrimonii ex vinculo sanguinis, secus vero si promissio ejusdem probanda, prout communem illam Ddruum opinionem explicat Excell. Dn. D. Stryk. in not. ad Lauterb. Tit. de test. voc. matrimoniali.

§. VIII.

¶ Altero casu ubi testes adhibentur ad excludendum vitium
52 clandestinitatis, nihil refert quales sint testes, cum & parentes sufficient, ita ut si hi intervenerint, exceptio clandestinitatis cesseret: quorundam locorum constitutionibus cautum quidem reperitur, ut præter parentes alii etiam adhibeantur testes, hoc refertur die Fürstliche Sächsische Gothansche L. o. p. 1. C. 8. Tit. 1. in pr. qua dispositum, ut omnia sponsalia præter personas principales earumque parentes præsentibus testibus fide dignis ad minimum duobus celebrentur, referente Bruknero in Decis. Jur. matrim. c. 2. num. 7. cum qua conspirat die Quedlinburgische Polycey-Ordnung: ibi Sie sollen sich in der en Eltern und zween Manns- Personen Ge- genwart gegen einander ehelich verpflichtet: hinc quæri poterat an in his locis sola parentum præsentia vitium clandestinitatis cessare faciat? quod quamvis ab initio negandum videatur, cum neglecta forma & solennitate legibus præscripta actus sit nullus: sed contrarium verius est, statuta enim talia tantum in majorem videntur condita securitatem, non autem sponsalia aliter inita infirmant, hinc nec in praxi observari testatur Brukner. d. L. multo magis ergo sufficient cognati, affines, domestici, cum enim regulariter nulli alii adhiberi soleant, hi ex consuetudine pro idoneis habendi.
53 Mev.

Mev. p. 8. Decis. 38. n. 5. Sicut & eo casu ubi de probandis sponsalibus agitur, cognati & domestici admittuntur, si veritas aliter haberi non possit Mev. d. 1. Carpz. L. 3. Def. 43. Illud sane sponsalia clandestina non facit, quod duo quidem testes adfuerint, sed alteri tantum contrahentium conjuncti, & horum alicui sponsio facta, wann die Beystände oder Zeugen nur auf der Braut / und nicht auf des Bräutigams Seite gewesen / Excell. D. Stryk, in Tr. de Dissenſ. Sponsal. S. 4. §. 30. in fin. aliter quidem hic Rostochii obſervatum fuſſe refert ſepe citatus Beatus Dn. D. Mullerus in Tr. von ungerathener Ehe p. m. 330. Allhier bey uns war vor eiten der rühmliche Gebräuch / daß / wenn die Braut dem Bräutigam iollte zugesaget werden / NB. beyderfeits Freunde in der Kirchen zusammen kamen / daselbst für dem Angesicht des Allmächtigen Gottes aneinander tratten / der Bräutigamb mit seinen Freunden zur Rechten / der Braut Freunde zur Linken/ da ließ der Priester beyde Theile mit einem richtigen Ja-Wort ſich erklärēn/ rieſſ die Anwende zu Zeugen/ und ſagte darauf die Braut dem Bräutigam zu. Sed niſi ſpecialis conſuetudo probetur, id ut fiat, neſſarium non putamus, nec sponsalia ideo clandestina eſſe, quia ab utraque parte conjuncti non adhibiti ſunt testes, pronunciatum refert Mev. p. 8. Decis. 38.

§. IX.

Ex hac tenus adductis ſatis, ut putamus, apparebit, quænam dicantur sine testibus contracta sponsalia, de vi eorum & efficacia obligandi nunc agemus, ubi quidem omni jure eadem invalida dixeris, cum clandestinitas præsumtionem doli & fraudis inducat, quæ inde contractum clandestinum annihilat Bald. in L. 3. C. de Summ. Trinit. quod eo magis in sponsalibus procedere videtur, quæ res ſunt sanctissima, & hinc clam arbitris in angulo tractari & expediri non debent. Carpzov. p. 4. C. 20. Def. 7. n. 28. hinc & in S. S. Booz Rutham

C 3

ductu-

ducaturus 10. Senatores convocavit, qui testimonium ferrent,
 se Rutham Moabitidem Machlonis viduam uxorem ducere,
 56 vos, inquit, hodie testes eritis *Ruth. C. 4.* Sed existimamus
 nihilominus sponsalia sine testibus contracta jure naturali &
 Divino subsistere, adeoque in foro animae ligare contrahentes,
 consensus enim ad matrimonium sufficit, modus autem de-
 clarandi consensum sponsalitium an per testes fiat, an sine illis,
 nec Divino nec naturali jure determinatus est. Excell. *D. Stryk-*
de Diffens. Sponsal. P. 1. §. 36. *Brunnem. in Jur. Eccl. C. 16. §. 12.*
 Die Ehe-Verbindung ist kräftig / wann man beider Theile
 rechtmäßige Bewilligung da / und macht sie der Zeugen Ge-
 genwart nicht allererst kräftig verba sunt Beati Dn. D. Müller-
 ri in *Tr. von Ungerathener Ehe p. m. 326.* imo & jure civili con-
 sensus facit nuptias *L. 30. ff. de Reg. Jur.* Gentium vero plera-
 rumque approbatio sine testibus contracta sponsalia invalida
 pronunciat, & sponsalitiis pactioibus testes & honestos & fi-
 57 de dignos adhibere jubet, Gerhard. *de Conj. §. 142.* sicut Ju-
 dæorum, Græcorum, Romanorum, Germanorum exemplis
 & authoritatibus id confirmat, Cypr. *de Sponsal. c. 10. §. 3.* idque
 non sine ratione receptum, postulat enim id (1.) negotii hu-
 jus sanctitas: Die Ehe ist ein öffentlicher Stand von GOTT
 verordnet / und nicht ein Winkel-Geschäfte noch Finster-
 Werk / und wer sie im Winkel und Finsterniß sucht / oder
 heimlich annimmt / der ist in Ehe-Dieb / und hat sie gestoh-
 len / und nicht redlich mit Gott und seines Wortes Gehor-
 sam bekommen / sunt verba Lutheri citati ab Excell. Dn. Prä-
 sidis Beato Domino Parente in *Tr. von Ungerathener Ehe p. m.*
 332. nam etiam jure divino honestius & convenientius est
 publice in præsenti testium contrahi sponsalia, jungimus
 59 (2.) eas quæ ex omissione testium oriuntur, lites inextrica-
 biles, perjuria, & alia tantum non infinita incommoda, ad quæ
 evitanda in quibusdam locis sponsalia Magistratu indicari
 solent.

solent. Derohalben an etlichen Eltern gar läblich der Ge-
brauch ist / daß man den Ehevertrag der Obrigkeit entweder
vor oder alsbald nach der Beschießung desselben andeuten
muß / da dann alles betrachtet / das Unbillige (so etwas drin-
ter vorgegangen) abgethan / und das Rechtmäßige bestätigt
wird. Vid. Beatum Dn. D. Mullerum d. l. accedit (3) hore- 60
statis ratio quæ non permittit , in angulo cum virgine tra-
etari de puellari pudicitia, turpitudinis quippe suspicione la-
borant, quæ clandestine tractantur Gerhard. de Conjug. §. 142.
Carpzov. L. 2. Def. 32. Cypr. de Sponsal. c. 10. §. 2. Quibus &
aliis etiam rationibus moti hodierni Principes in territoriis
suis invalida pronunciarunt sine testibus contracta sponsalia ;
in exemplum producimus hujus provincia Meklenburgicae 61
ordinationem Ecclesiasticam, ubi cautum : Es sollen auch die
Pastores nicht über heimliche Verlobnisse halten / dann der E-
hestand soll mit öffentlicher Desponsation und Gebet in bey-
sein ehrlicher Menschen / als Zeugen angesangen wer-
den. Idem cautum Constitutione Brandenburgica de Ao. 1694. 62
§. XI. anlangend dieseljenigen Personen / so beyderseits keine El-
tern haben / jedoch sii juris & majorennes seyn / soll deren Ver-
lobnis / wenn selbiges ohne jemandes Beyseyn getroffen / vor
ein heimlich Verlobnis gehalten / und für unbündigerkandt
werden. Idem confirmavit Elector Saxoniae Mauritius in
Ordin. Eccles. Tit. von Ehe-Sachen sub Rubr. von Ehe-Gelöb-
nis. Die heimliche Verlobnis auch zwischen denen Personen / 63
die keine Eltern im Vormünder haben / sollen nichts seyn / con-
ficit Ordinatio Guelpherbitana de anno 1693. ibi : Wann sie
aber keine Eltern und Vormünder haben / zum wenigsten in
Gegenwart ihrer nächsten Anverwandten / und auch dreyer
oder zweyer ehrbarer Männer und Zeugen in ein Ehe-Ver-
lobnis sich einlassen sollen / alienarum provinciarum Constitu-
tiones ut hac vice brevitatis studio taceamus , ex adductis
enim

enim satis abundeque apparer, sponsalia sine testibus contra-
cta vim obligandi, quam per se habebant, ex Constitutionibus
Principum amisisse, de quarum constitutionum validitate ne-
mo sanus dubitabit, omnes enim Civium actiones indiffe-
rentes, etiam illas, quæ naturaliter liberæ erant, Princeps,
ubi opus est, cohibere potest, ultimo quoque suppicio, uti
vult Henniges ad Grot. L. 2. C. 20. §. 25. quidni ergo eidem li-
ceret modum actionibus civium præscribere, ut eo neglecto,
actus yt nullus, quod extenditur ut Principum constitutioni-
bus sponsalibus fine testibus contractis, etiamsi juramento
confirmata fuerint, vis obligandi detrahi possit. Sed hic non
leve dubium remanet, cum obligatio à juramento sit insepar-
abilis & effectus ejus necessarius Grot. de Jur. Bell. & Pac.
L. 2. c. 13. §. 2. queritur enim ex juramento obligatio non tan-
tum illi, cui juratum, sed & DEO, Grot. d. c. 13. §. 13. quod
si autem Principi non licet jus privato imprimis ex conven-
tione & jure Gentium quæsumus, auferre, multo minus obli-
gatio DEO quæsita Principis constitutione tolli potest. Sed
existimamus nihilominus, posse Principis constitutione id
effici, ut actus contra legem gestus etiamsi juramento confir-
metur, sit invalidus, quamvis enim suum juramento non denegemus effectum, si tamen privato v. g. patri, votum filii, ma-
rito, votum uxoris irritare concessum est, Num. 30. Superioris
etiam prohibito effectum juramenti impedire potest. Ames,
de Conf. c. 22. §. 25. Lauterb. ad. Tit. ff. de Jurejur. quod ta-
men ita intelligendum putauis, quod superiorum quidem
actus id efficere non possit, ut jusjurandum, quatenus vere
fuit obligatorium, non sit præstandum. Grot. L. 2. c. 13. §. 20.
potius dicimus, juramentum quod in se nullo laborat vitio
factumque fuit super re, de qua in jurantis arbitrio est pro lu-
bitu disponere, rescindi non posse, Puffend. de J. N. G. L. 4. c. 2. ubi
autem juramentum præstatur super re à superiori prohibita,

non

non præstatur superre de qua disponere in arbitrio jurantis erat, indeque non obligat, voluntas enim & actiones subditorum voluntati & directioni Superioris subjacent, ubi ergo super his actionibus juramentum præstatur, à consensu superioris vim mutuabitur, Puffend. a. 1. ubi autem hic juramentum irritum esse vult, actui, cui adjectum, vim addet nullam, qui enim contra legem prohibentem jurat, voluntati Magistratus se directo opponit, & hinc ordinationi divinæ resistit Excell. D. Stryk. de *Dissens. Sponsal.* S. 1. §. 37. unde in Constitutione Brandenburgica de Anno 1694. S. 7. irrita pronuntiantur sponsalia sine consensu parentum contracta, quamvis jurata, ibi. Und wenn gleich selbige durch NB. eidliche Verpflichtung abgehandelt / sollen doch dieselben für heimlich gehalten/ und von unserm Consistorio für unfräßig und unbündig geachtet werden.

§. X.

Sic ergo satis probatum dedimus, sponsalia sine testibus contracta moribus invalida pronunciari, unde secundo fluit alveo, quæ de effectu sponsaliorum indeque proveniente obligatione ad consummandum matrimonium superius dicta 66 sunt, ad clandestina sponsalia neutiquam esse trahenda, sed exinde convento obstat exceptio clandestinitatis, & agens, dum eam, & ita se contra Legum præscripta peccasse fatetur, arbitrarie punitur, uti pronuntiatum refert Cypr. de *Sponsal.* c. 10. §. 8 Sed quid si sponso clandestino sponsa clandestina per vim auferatur, annon ad remedium *Can. redintegranda* c. 3. qu. 1. recurrere poterit & petere eam sibi restitui? ita videtur, sponsatus enim ante omnia restituendus. *L. pen. ff. de Vi & Vi arm.* 67 L. 6. C. unde Vi etiamsi vitiose, h. e. vi, clam vel precario ab adversario possideat §. 6. J. de *Interd.* in sponsa tamen spoliata securus se rem habere, ita ut clandestine contrahenti non sit restitu-

D.

tueri.

26 CAP. I. PROBANS SPONSALIA SINE TESTIBUS ESSE INVALIDA.

tuenda, defendit Gloss. in cap. ex transmissa X. de Restitut. Spoliat. Sanch. de Sponsal. L. 3. Disp. 45.

§. XI.

- Cum ergo ex sponsalibus clandestinis neutri parti jus agendi competit, sequitur, quod conqueri nequeat sponsa, si sponsus alia sponsalia publica contrahat, hæc enim præf-
68 renda esse in cap. seq. dicetur, si tamen sponsa posterior pu-
blica, ut sic loquar, comperit sponsalia clandestina antea
esse contracta, annon huic ius agendi ad repudium exinde
nascitur? quod ab initio negandum videtur, cum haec caufa
repudii nullibi in jure sit expressa, & sibi imputare debeat,
quæ non melius inquisivit in conditionem ejus, cum quo
contraxit, quia tamen ex sponsi perfidia justum odium con-
cepit sponsa posterior, repudio locum esse pronuntiarunt JCri
Hallenses referente id Excell. D. Stryk. de Diffens. Sponsal. S. 2.
69 §. 38. verba ita se habent: Hat der Herr seine Tochter an A.
H. S. vermittelst öffentlicher Sponsalien versprochen / nach-
hero aber erfahren / daß derselbe sich kurz vorhero mit einer
andern heimlich verlobet / auch dieselbe bey Verlust seiner Eh-
ren und Seeligkeit / die Ehe mit ihr zu vollziehen versichert /
ob nun wohl die Sponsalia publica von solcher Verbindlichkeit /
daß das zurücktretende Theil ad consummandum wohl gehal-
ten werden kan / indem aber A. H. S. sich per juratam promis-
sionem mit einer andern verlobet / ob gleich solches ohne seines
Vater Willen geschehen / und daher diese Sponsalia pro clan-
destinis & invalidis zu achten / dieses auch bey denselben ein
leichtsinniges und unbeständiges Gemüthe anzeigenget / A. H. S.
in dolo gewesen / daß er solches verschwiegen / so erscheint al-
lenthalben so viel / daß der Herr nebst seiner Tochter
gnugsame Ursachen haben / der Ehelichen
Verlobung zu renunciiren.

CAPUT.

CAPUT II.

Tradens

An, & qua ratione Sponsalia sine testibus contracta convalidentur.

SUMMARIA.

C Landesfinitas non est vitium permanens.	1	<i>An vir mulierem occidens inculpatam tutelam allegare possit.</i>	
<i>Quomodo tollatur?</i>	2		14
S ponsalia clandestina confirmantur per concubitum	3	<i>An sponsus ad concubitum a sponsa metu mortis compelli possit.</i>	15
<i>Eius ratio.</i>	4	<i>Juramentum purgatorii quando locum habeat?</i>	16
N on creditur nudae assertionistae.	5	<i>An sola stupri confessio locum faciat juramento huic?</i>	17
<i>Nec stupratorem juvat protestatio.</i>	6	<i>Ad circumstantias hic respiciendum.</i>	18
<i>Nixus ad copulam non sufficit.</i>	7	<i>Prestito hoc juramento absolvitur reus totaliter.</i>	19
<i>Eius ratio.</i>	8	<i>Limit.</i>	20
<i>An Sponsalia clandestina concubitu consummata preferantur publicis?</i>	9.10	<i>Quænam pena sit jurare recusantis.</i>	21
C oncubitus cum decrepita nibil operatur.	11	<i>An eadem in matrimonialibus obtineat.</i>	22
<i>Nec parentes precise compellendi sunt ut stupratam stupratori in matrimonium dent.</i>	12	<i>Juramentum suppletoriū quando locum habeat.</i>	23
Q uatenus concubitus vitium clandestinitatis tollat?	13	<i>Etiam in matrimonialibus obtinet.</i>	24

D 2

Quan-

<i>Quando?</i>	25	<i>Nisi ab altera parte acceptata fuerit.</i>	37
<i>Juramentum judiciale affirmativum in matrimonialibus locum habet.</i>	26	<i>Quid obtineat si haec confessio per testes probari possit.</i>	38
<i>Non negativum.</i>	27	<i>Litterae Amatoriae non probant sponsalia.</i>	39
<i>A transactione ad juramentum valet argumentum.</i>	28	<i>Quænam ergo?</i>	40
<i>Confirmatur præjudicio.</i>	29	<i>Quando dona & munera probent sponsalia.</i>	41
<i>Aliquando etiam negativum iuramentum in matrimonialibus locum habet.</i>	30	<i>Arba aliquando sunt indicium contractus nondū perfecti.</i>	42
<i>Confessio probatio est optima.</i>	31	<i>Quid sit rumor?</i>	43
<i>Sponsalia clandestina per confessionem partium convalescent.</i>	32	<i>Quid sit fama?</i>	44
<i>Secus de Jure Saxonico.</i>	33	<i>Per famam vicinie non probatur matrimonium.</i>	45
<i>Ejusratio.</i>	34	<i>Nisi alia administrula concurrunt.</i>	46
<i>Quotnam testes requirantur ad confessionem?</i>	35	<i>Quænam haec sint?</i>	47
<i>Unius partis confessio tantum semiplene probat.</i>	36	<i>Sponsalia clandestina probantur, si se ita nominent & ab aliis nominari patientur.</i>	48

S. I.

Postquam ita demonstravimus sponsalia sine testibus contracta vim obligandi non habere, consequens nunc est, ut videamus, annon aliqua ratione convalidentur? quod ab initio quidem negandum videbatur, cum, quod ab initio vitiosum, ex post facto non reconvalescat: quia tamen clandestinitas non est vitium permanens Carpz. *Jurispr. Eccles. L. 2. Def. 35. n. 1. & seqq. Mev. p. 8. Dec. 39. n. 2.* inde vitium clandestinitatis tolli placuit, si tale quid superveniat ex puro iteratus collegi possit consensus; ita sponsalia clandestina confirmantur (1) per

(1) per concubitum', hic enim purgat clandestinitatem, & ratum facit conjugium alias iustum c. ult. c. 28. qu. 1. cap. Cum causa 6. X. de Raptor. accedit, quod ex concubitu oriatur presumptio matrimonii, cum enim omnis presumptio sit facienda in meliorem partem Scheffer. 2. Pract. quæst. 5. num. 11. seq. hoc quoque casu maritali potius affectione intercessisse, 4 quam grave delictum contra præceptum divinum presumendum Excell. D. Stryk. de Diffens. Sponsal. S. 4. §. 4. an ergo ex solo concubitu presumitur matrimonium, quid si fornicatio animo ad stupratam se accessisse dixerit? sane si hic nudæ assertioni stupratæ fidem habere velimus, vix illa hodie dote contenta erit, sed matrimonii urgebit consummationem, id 5 quod certe admittendum non est, hinc ante omnia constare & aliquo modo de his sponsalibus fidem facere debet Sponsa clandestina stuprata, ob concubitum urgentis matrimonii consummationem, quod satis aperte statutum in constitutione Brandenburgica von Verlobniss und Ehe-Sachsen §. 11. nec quicquam juvabit protestatio se nolle per hujusmodi copulam 6 consentire in matrimonium & hoc implere Mascard. de Probat. Concl. 1027. n. 11. Lauterb. ad Tit. ff. de Sponsal. Cypr. de Sponsal. c. 8. §. 2. n. 5. & 6. haec enim protestatio factio contraria est, indeque nihil operatur, id tamen necesse est, ut copula carnalis sit consummata, nixus ad copulam non sufficit, quamvis id velle videatur Joan. Andr. in c. attestations X. de despous. Impub. 7 nec hic nixus effectu in jure destituatur, ita Vasallus feudo privatur non tantum si Dominum cucurbitaverit seu cum uxore ejus concubuerit, sed & si cum uxore ejus concumbere se exercuerit, adeoque nixus ad copulam sufficiat i. F. s. in præsenti tamen casu secus se rem habere docet textus expressus in cap. ult. X. de Sponsal. ibi licet. si pennis fuerit carnaliter non cognoscens & cessat hic ratio quæ simpliciter injungit consummationem sponsaliorum post copulam, ut scil. hac ratione 8

aliquo modo, restituatur erepta pudicitia Excell. D. Stryk.
in not. ad Brunnem. *Jus ad Eccles.* L. 2. cap. 16. §. 10. verb. *Nisi hic concubitus in fin.* non tamen necessum erit ut imprægnatio sequatur, sed sine ea copula carnalis & per hanc erepta pudicitiae ratio sufficit: & quamvis ita difficilior reddatur concubitus probatio, non tamen ea propterea simpliciter deficiet: sed quomodo, dixeris, eadem fiet? testes sane in tali negotio raro, imo nunquam interveniunt, fieri tamen potest ut fortuito interveniant & concubentes in actu venereo deprehendant, quo quidem casu dubio res caret; sed quid si ante ostium stantes de auditu deponant, testi sane non creditur, nisi rationem dicti sui reddere possit ex sensu corporeo apto illi rei de qua agitur: concubitus vero non auditu, sed visu perceptibilis. Sed quia circumstantiae quædam, ex quibus concubitus colligitur, in sensum auditus cadunt, inde affirmativam defendit Ponifex in *C. Præterea* 27. X. de *Tesib.* & *Attestat.* ut si dixerit se audivisse verba ad copulam præparatoria, lecti motionem & alia plura, quæ recenset Mascard, *de Probat.* Vol. I. concl. 62. n. 1. Prosper. Farinac, *Lib. 3. tit. 7. quæ 69. c. 7. n. 200* & seqq. vid. Excell. D. Stryk. *De jur. Sens. Differ.* 3. c. I. n. 38. ubi in seqq. monet, foli huic testimonio de auditu nequaquam plenam fidem habendam, nisi alia concurrente adminicula, quod non tantum Pontifex in d. cap. *Præterea* requirit, sed & Mascard, d. I. add. Fuly, *Pacianus de Probat.* *Lib. I. c. 10. n. 3.* & n. 10.

§. II.

Quæ de effectu Sponsaliorum clandestinorum dicta sunt, si concubitu consummata, illa videntur habere limitationem
9 (a) nisi cum his concurrent sponsalia publica, in horum enim præjudicium non valebit, nec quicquam operabitur concubitus ad clandestina accedens sponsalia ob firmissimam obligationem ex illis quæsitam quæ per concubitum tolli non potuit.

potuit. Sed cum antea dictum sit, quod concubitus tollat vi-
tum clandestinitatis, adeoque sponsalia efficiat publica, non
aliter prædictam limitationem intelligi volumus, quam si
concubitus ad clandestina accesserit, postquam publica jam
contracta Excell. D. Stryk. in not. ad Inst. Tit. de Nupt. quo ta-
men casu poenam relegationis dictatam fuisse docet Richter.
p. 2. Dec. 88. num. 50. quod si sponsa clandestina concubitum
a sponso passa, alia postea sponsalia publica contraxerit, his
vero neglectis primo sponso clandestino denuo corporis co-
piam fecerit, prædictam relegationis poenam cessare præju-
dicio quodam corroborat Excell. D. Stryk. de Diffens. Spon-
sal. S. 4. §. ult. quod si antequam sponsalia publica contracta
ad clandestina concubitus accesserit, haec utpote publica an-
teriora illis præferenda, cum sic indissolubilia statu sint, per
benedictionem Sacerdotalem consummanda Cypr. de Spon-
sal. c. 10. §. 10. Gerhard. de Conjug. §. 146. etiam si sponsam pu-
blicam posteriorem non cognoverit C. 30. X. de Sponsal. Ti-
raquel. de Retr. Convent. ad fin. Tit. num. 77. (B) eadem limi-
tanda videntur, nisi sponsa clandestina iam decrepita & senio 10
confecta fuerit, ubi concubitus tanquam contra moralitatem
& contra ius Divinum commissus nullum iuris effectum habet,
ut hinc iuvenis cum tali vetula concubens propterea ad ma-
trimonium ineundū cogi non possit, ut vult D. Bodinus JCtus
Hallensis in Disp. de anticipato concubitu Corollar. i. quamvis non
desit, quod hic regeri possit, de quo dara occasione in confli-
ctu, sicut & (y) compellendi non sunt parentes, etiam si con- 11
summationem matrimonii post concubitum urgeat sponsus, ut
præcise eam concedant, si iustas habeant causas ob quas vi-
tiatori filiam in matrimonium denegare per si sunt, nam sic
clandestina sponsalia effectum non habebunt ullum, ut si infe-
rioris cuiusdam conditionis iuvenis viri cuiusdam magni no-
mina filiam clanculum ad sponsalia secum ineunda, & postea 12
ad

ad concubitum induceret, hoc enim casu parentes inviti compelli nequeunt, ut stupratori eam in matrimonium dent, Dekken. *Confil. Theol. Vol. 3. Lib. 2. Sect. 4. n. 21. seqq.* Joh. à Sande *Decis. Fris. L. 2. Tit. 5. Def. 4.* Carpz. *Jurispr. Confessor. Lib. 2. Def. 60.* Gerhard. de *Conjug. §. 146.* quodenim dicitur, per concubitum tolli vitium clandestinitatis id quoad præjudicium tantum partium procedit, quæ ad clandestinitatem provocare nequeunt, sed alia ratio est, si queratur de præjudicio parentum, ubi liberi per concubitum necessitatem adhibendi horum consensum tollere nequeunt Stryk. de *Dissens. Sponsal. S. 4. §. 5.* an vero (δ) sponsalia clandestina per concubitum confirmantur, si hic metu mortis fecutus, ut si sponsus à sponsa coactus fuisset eam cognoscere, quæri poterat? casus ab initio vix videtur dabilis, ut à muliere vir metum patiatur iustum, sed quamvis id rarum, non tamen penitus impossibile

13 esse, vel ex eo patet, quod audiatur, qui se tutela inculpata contra mulierem usum esse allegat; denn wie wol nicht leichtlich ein Weib einen Mann zu einer entschuldigten Nothwehr verursachen mag / so were doch möglich / daß ein grausam Weib einen weichen Mann zu einer Nothwehr dringen mögte/sonderlich/ so sie so sorgliche und er schlechtere Wehr hat. C. C. C. art. 144. sed quamvis hæc ita in defensione obvenire possint, dubitamus nihilominus, an vir præcisè ad coitum cogi possit. Mascard. de *Probat. Concl. 1031. n. 10.* Si tamen contingat, ut metu mortis coactus carnaliter cognoscat sponsus sponsam clandestinam, vix effet, ut sponsalia ita firmari dicamus, metus enim justus h. e. non vanus, qualis etiam est metus mortis, sponsalia facit esse nulla, utut enim quæ metu gesta sunt strieto jure valeant. tot. Tit. ff. *Quod met. caus.* cum metus non excludat voluntatem, L. 21. §. pen. ff. d. t. in spiritualibus tamen quibus etiam annumerantur caufæ matrimoniales, voluntatis libertas, quam metus excludit, requiritur Cap. 14. X. de *Spons.* Carpz.

Carpzov. Jurispr. Consistor. Lib. 2. Def. 17. Hopp. ad pr. J. de Nupt. p. m. 82. necobstat, quod metui causam dederit clanculum. Nuptias contrahendo, nam, ut taceamus negotium metu gestum rescindi, etiam si eum passus antea rei illicitæ operam dederit L. 7. §. 1. L. 8. ff. Quod met. causa. Sponsa quoque rei illicitæ operam dedit, quando remotis arbitris sponsalia contraxit, ex quibus utpote re illicita, justam causam metum inferendi consequi non potuit.

§. III.

Non tantum autem per concubitum convalidantur sponsalia clandestina, sed & si alio modo probari possint An juramenti delationi locus sit, graviter disputatur, distinet rem expediemus, aut enim quæstio est de juramento quod Judex, aut de eo quod pars parti in judicio desert, illud est vel purgatorium, vel suppletorium, illud in matrimonialibus locum habere potest. Sed cum Judex hoc juramentum non deferat, nisi quoties aliae probationes deficiunt, an. 6. X. de Purgat. Canon. c. II. c. 2. qu. 4. suspicione autem aliquem gravant, Carpz. de Process. Tit. 12. art. 3. n. 7. hinc neq; in matrimonialibus idem desertur, nisi ubi adsunt præsumptiones sufficietes, atque indicia certa, de quibus Judex cognoscit cap. fin. X. de Jurejur. Frantz. ad Tit. ff. de Jurejur. 1. 68. an autem sola stupri confessio sufficiens sit indicium varie disputatur? negat hoc Lauterb. ad Tit. ff. de Jureju. Carpzov. in Jurispr. Consistor. L. 3. Def. 47. affirmativam tenuit Cypr. de Sponsal. c. 14. §. 23. Beust. de Sponsal. p. I. c. 47. Carpz. p. I. c. 22. Def. 4. non desunt utique parti rationes, pro negativa militat, quod, si stuprator affectum matrimonii fovisset, non præsumatur conjugem futuram vitio libidinis maculasse, & ita saepius judicatum refert Nicol. De Repud. c. I. n. 87. & seqq. cui affirmantes opponunt præsumptionem, quod, cum nemo præsumatur suum iactare, L. 25. ff. de Probat. nec virgo præ-

E

summa-

sumatur corporis sui copiam fecisse, nisi sub spe matrimonio
 18 iii, sed cum hoc de omnibus dici nequeat, rectius ad circum-
 stantias hic configunt Ddres, respicientes ad qualitatem per-
 sonæ stupratæ, an extra stupri patientiam sit honestæ vitæ &
 famæ, meretricis enim aut vulgaris scorti assertio non mere-
 tur fidem. Mev. p. 3. Dec. 73. nec enim parum adminiculatur vita
 anteacta, fama item debitissimis vallata. Nicol. de Repud.
 d. l. Carpz. in Pr. Crim. p. 2. qu. 68. n. 100. Excell. Dn. D. Stryk.
 in not. ad Lauterb. Tit. de Jurejur. verb. conjectura. Brunnem. in
 19 jur. Eccles. L. 3. c. 5. §. 8. quo præstito absolvitur reus totali-
 ter, und wird benden Theilen sich in andere Wege Christlich
 u verehlichen zugelassen / Beust. de jure Conub. p. 1. de Sponsal.
 20 c. 4. Carpz. p. 2. C. 22. D. 17. nisi tamen culpa sua v. g. con-
 vergatione aliisque actibus suspectis causam suspicioni præ-
 buerit quo casu in expensas condemnatur, Struv. s. 7. C.
 21 Ex. 17. r. 47. Brunnem. in jur. Eccles. L. 2. c. 18. §. 66. quod si
 reus jurementum purgatorium fibi injunctum præstare re-
 cuset, præconvicto habetur. Cap. inter Sollicitudines in fin. C.
 cum delict. E. de purgat. Canon. O. C. p. 1. tit. 10. §. würde sich
 Carpz. tit. 2. art. 3. n. 46. Brunnem. de Process. c. 23. num. 36.
 Sed cum hec in delictis & criminalibus causis quoad poe-
 nam ordinariam non procedat Brunnemann. d. l. his au-
 tem causæ matrimoniales comparentur, in his quoque
 prædictam penam cessare videbatur, in praxi tamen contra-
 riūm invalidit, & recusans ad matrimonii consummationem
 condemnatus fuit, quod variis præjudiciis confirmat Nicol.
 22 de Repud. c. 1. §. 99. add. Beust. de Sponsal. p. 1. c. 55. & 56. Kitzel
 in Synopsi. matrimon. c. 10. theor. 26. lit. f. Suppletorium jura-
 mentum defert Judex ob inopiam probationis, si quis inten-
 23 tionem suam plene sc. per duos testes omni exceptione ma-
 jores probare non possit L. 3. C. de Jurejur. sed semiplenam
 tantum pro se habeat probationem Carpz. p. 1. C. 17. Def. 34
 Lar

Lauterb. ad Tit. de Jurejur. v. g. unum testem omni exceptione majorem Carpz. p. 2. cap. 23. D. 4. non tamen defertur hoc juramentum in causis arduis & magnis Gail. L. 1. Obs. 108. hinc nec in matrimonialibus ei locus est, ne si alter juraverit, altera pars nolens volens in matrimonium detrudatur, quod 24 repugnat libertati matrimonii, & servitutem perpetuam importat, Carpz. p. 1. c. 22. D. 3. &c. 23. D. 10. num. 11. Gail. L. 1. O. 94. Berlich. p. 1. Concl. 54. n. 14. Vinn. qu. 44. in fin. Carpzov. tit. 12. art. 2. num. 61. Vultej. in Consil. Marp. 15. Coppen. L. 1. O. 32. n. 13. seqq. Brunnem. Consil. 62. n. 2. seqq. Richter. Dec. 8. n. 39. Sicut tamen in aliis causis arduis & magnis hoc juramentum locum habet, si plus quam semiplene probatum Brunnem. de Process. c. 23. n. 28. ita idem in matrimonialibus obtinet, si praeter semiplenam probationem concurreret alia insignis conjectura, Lauterb. ad Tit. ff. de Jurejur. Berlich. 25 p. 1. Concl. 54. n. 46. v. c. si vir in dignitate constitutus inferioris dignitatis virginem in matrimonium petat, Gail. L. 2. Obs. 94. n. 12. Cothmann. Vol. 2. Respons. 86. num. 19. Carpz. L. 3. Respons. 59. num. 19. & quænam magis insignis conjectura esse posset, quam si praeter semiplenam probationem concurreret concubitus, hinc in Ordinat. Brandenb. von Verlobnis und Ehe-Sachen §. 11. cautum: Solte dabej (nemlich heimlichen Verlobnissen) einige fleischliche Vermischung und Schwangerung vor gegangen seyn / und das Weib vor geben / daß der Struprator ihr die Ehe versprochen / so soll sie damit gehöret werden / wann sie solche Ehesprechung in continenti per testem unicum omni exceptione majorem oder sonstem semiplene cum præstatione juramenti suppletorii beweisen würde / nec obstat quod ita invitus in matrimonium detrudatur, qui non vult, nunquam enim ad juramentum suppletorium devenitur, nisi ad sint indicia & præsumtiones prægnantissimæ, quibus si jungatur juramentum, non habet quod de coactio-

ne queratur reus. qui promissionem matrimonii ita satis probatam ponte fecit Carpz. *jurispr. Consistor.* L. 3. D. 46. n. 9. & seqq. ubi ab opinione contraria, quam defendit p. i. c. 23. D. 10. eamque stabilivit Responso Scabinorum Lipsiensium, recedit.

§. IV.

- 26 De juramento autem judiciali, quod pars parti desert, non caret res controversia? affirmanti matrimonium seu sponsalia esse contracta, juramentum deferri posse extra dubietatis aleam positum esse remur, cum enim hoc juramentum quandam contineat conventionem, & inde novum quamvis conditionatum consensum inducat, ducam te, si iuraveris L. 26. §. ult. ff. de *jurejur.* valebit eiusdem delatio, sed quod negativum attinet iuramentum, illud deferri non posse uno fere ore omnes statuant, propterea quod hoc tendat ad matrimonii dissolutionem, quæ tamen privati non subiacet arbitrio Gail L. 1. O. 94. n. 14. Carpz. L. 3. D. 44. Brukner in *Decis. matrim.* c. 2. n. 4. Richter. Dec. 8. n. 27. Nicol. de *Repud.*
- 27 c. I. n. 68. cum enim transactio, à qua ad iuramentum argumentari concessum est L. *jusjurandum speciem transactionis continet* 2. ff. de *jurejur.* Brunn. in *Process. Civ.* c. 23. n. 2. contra matrimonium concessa non sit cap. fin. X. de *transact.* Carpz. L. 2. Def. 23. Lauterb. ad Tit. ff. de *Transact.* idem de iuramento dicendum videtur, sicut hanc sententiam in iudicando securi sunt Scabini Lipsienses, apud Carpz. *jurispr. Consistor.* L. 3. D. 44. n. 8. hisce formalibus: daß Kläger das angegebene
- 28 Ehe-Gelöbnis zu erweisen schuldig/dawider Beklagte ihre Ge-
gen-Nothdurft vorbehalten wird / und hat nach Gelegenheit
dissals die Ehedleistung nicht stat / ex quo & hoc colligimus,
quod ne quidem in sponsalibus publicis iuramenti negativi de-
tio locum habeat, multo ergo minus in clandestinis, quæ utpote
illiciti actus ius agendi non tribuunt. Sed quamvis haec ita in
thesi vera sint authoritatibus & præiudiciis variis suffulta, ali-
quan-

quando tamen, & si præsumptiones quædam non leves adfint,
etiam negativum iuramentum deferri posse putamus, non ut 30
per id impetrat sponsaliorum dissolutionem, sed ut rem ita, uti
allegat, & præsumptionibus quibusdam corroborat, actam esse
probat, cum enim transactiones contra matrimonium ex
iusta causa confirmet Magistratus Carpz. L. 3. D. 45. n. 12. Stryk.
in Uso Moderno ff. Tit. de transact. §. 21. quidni idem in iura-
menti delatione obtineret?

§. V.

Sed quia diximus sponsalia clandestina convalidari, si 31
aliter probari possint, non omittenda erit confessio, qua nul-
la probatio melior est L. 2. C. de Transaction. L. 13. C. de non
numer. Pecun. Carpz. p. 2. c. 3. D. 8. n. 10. quod si ergo qui spon-
salia clam contraxerunt eadem postea confiteantur, procul
dubio convalescunt; in illis enim, quæ à simplici confitenti-
um dependent voluntate, illorum statur confessioni, Bartol. 32
in L. si forte ff. de cast. Pec. ac præsens confessio præsentem ar-
guit voluntatem. Mascard. de Probat. concil. 1331. n. 4. Menoch.
de A. f. Q. L. 2. c. 103. n. 12. Beust. de Sponsal. c. 13. Heig. p. 1. qu.
22. n. 31. Confer. Excell. D. Stryk. de Diffens Sponsal. §. 4. §. 31.
in fin. Mev. p. 8. Decis. 30. num. 4. Jure autem Saxonicō aliud 33
statutum, ita, ut nec per confessionem partium Sponsalia
clandestina confirmentur, per Ord. Eccles. sub Tit. Bon. Chege-
lōbnis §. Wenn aber. Ord. Matrim. de Anno 1654. punct. 1. §.
Wo auch/ ibi: so soll dasselbe vor ein heimlich Gelöbnis gehal-
ten / und da sie sich beyderseits dazu bekennen / dennoch für
umbündig erkann werden / bis beyde Personen solches durch
öffentliche Gelöbnis vor ehrlichen Leuten freywillig wieder-
holen und bestätigen / rationem hanc afferunt Saxones Jcti, 34
quod pro forma essentiali sponsaliorum publicorum testium
requiratur præsentia, qui proinde ad ipsum promissionis
actum adhiberi debeant Carpz. L. 2. Def. 35. n. 5. & quamvis

E 3

ad

ad hanc reiterationem duos testes non sufficere existimat Ma-
 scard. *de Probat. Concl.* 1035. n. 5. hujus tamen opinio uti nulla
 35 nititur ratione, ita contrarium quoque pronuntiatum refert.
Carpz. Resp. 109. *Lib.* 5. & hanc opinionem, quod sola partium
 confessio non firmet sponsalia clandestina in terris quoque
 Brandenburgicis receptam esse confirmat Responsum, quod
 refert Excell. D. Stryk. *de Diffens. Sponsal.* S. 1. §. 28. ubi haec le-
 guntur verba: *So ist auch / was unter ihnen der Verlobung
 halber passirt / in geheim geschehen / und würde also nur eine
 clandestina despontatio daraus entstehen / nun ist aber satt am
 bekannt / quod talis despontatio de Jure non obliget, wie solches
 deutlich in der Thur-Sachsenischen Ehe-Ordnung zu ersehen /
 daß / wenn beyderseits Personen solche Verlobnis gleich zuge-
 standen / selbige dennoch ungültig seyn soll. Ord. Eccles. Elec. Tit.
 von Ehe-Sachen / Rubric. von Ehe-Gelöbnis:* Eben dergleichen
 ist auch in der Marck Brandenburg geordnet / daß nem-
 lich die heimliche Verlobnis ganzlich sollen verboten seyn / und
 solten die Verordnete des Consistorii solche ohne Beweys redi-
 licher Leute geschehene Verlobung / ob sie gleich gezeuget wür-
 den könnte / vor unfrästig und unbündig erkennen. Sed nisi id
 alicubi in specie receptum verius est sola confessione partium
 confirmari sponsalia clandestina Excell. D. Stryk. *de Diffens.*
Sponsal. S. 4. §. 31. Sed quod diximus sponsalia clandestina per
 confessionem confirmari id limitat Panorm. *in cap. 2. X. de clan-*
destin. Despons. nisi concurrent sponsalia publica, his enim
 confessionem partium non præjudicare volunt, quia sponsus faci-
 le subornaret aliquam, si inciperet pœnitere & odio habere sibi
 publice despontatum, quæ assereret, se prius cum eo contraxisse
 sponsalia, idque in fraude publicorum sponsaliorum, quod
 non tolerandum esse existimat Mauser. *de Nupt.* 1. 1. §. 26. sua
 enimque confessio quidem nocet, sed non tertio, *i. pen. ff. de*
Conf. Mey. p. 7. Dec. 154. n. 3. p. 1. Decis. 16.

S. V.

§. V.

Sed hoc absque dubio procedit, si utriusque partis confessio adsit, sic enim una ex poenitentia recedere & exceptio nem clandestinitatis opponere nequit: quod si pars contrahentium una extra judicialiter confiteatur sponsalia, postea vero ad exceptionem clandestinitatis configiat, an probata illa, extra judiciali confessione ad matrimonium consummandum compelli possit nunc videamus? & regulariter semi-³⁶
 plene tantum eam probare communis tenet Ddruim Schola,
 Bartol. in L. Admonendi 31. ff. de Jurejur. Ant. Fab. in C. L. 4.
 tit. 14. Def. 23. n. 4. si tamen à parte adversa acceptata, inte-³⁷
 gram & perfectam fidem facit. Lauterb. ad tit. ff. de Confess.
 Carpz. p. 1. c. 16. Def. 21. n. 4. quod in matrimonialibus simili modo obtinere docet Mascard. de Probat. Vol. 2. concl. 1030, n. 4.
 ubi confessionem absente altera parte factam matrimonium ³⁸
 non probare tradit, si tamen etiam absente altera parte facta confessio plene probari posit v. g. testibus, plenam induce-
 re probationem vult Lauterb. d. l. quod in matrimonialibus
 non procedere docet responsum Facultatis Francfurt. quod
 refert Excell. Dn. D. Stryk. in not. ad Brunneman. Jus Eccles. L.
 2. c. 16. §. 12. *Verba que sine testimonibus contracta* ubi inter alia haec leguntur verba. *So halten wir dafür weil (1) Klägerin die prätendirte Ehe-Versprechung mit keinen Zeugen erweisen können / der consensus aber matrimonialis facti ist / und also ab allegante erwiesen werden muß (2) solcher Beweis aber specificie geführet werden soll per testes juratos die NB. der Versprechung mit beygewohnet / daher die Testimonia so von der Klägerin produciret keine vim probandi haben können/ weil sie nicht de ipsis sponsalibus, sed confessione saltem spon- si extrajudicialiter reden / weshalben gewis / daß die von der Klägerin prätendirte sponsalia pro mere clandestinis zu achten.*

§. VI.



§. VI.

Probantur porro sponsalia per litteras seu epistolam à parte matrimonium negante ad alteram emissam Nicol. de Repud. c. 1. n. 38. ubi tamen non intelligendæ sunt literæ amato-
riæ, in quibus virgo juvenem quendam suum sponsum vocat,
ex appellatione enim sponsi nemo fit sponsus, Excell. D. Stryk.
in not. ad Brunnem. Jur. Eccles. L. 2. c. 1. §. 12. ibique allegatum
40 præjudicium, sed tales intelligimus literas, ex quibus de facta
desponsatione & novo ac geminato consensu constet, ut si
scripserit, daß es bey ihrer Abrede seil. der getroffenen Verlob-
nis halber fest verbleiben / und er sich sicher dar aufß verlassen
könte: Ex his enim & similibus verbis confirmantur spon-
salia ab initio quamvis clam contracta, quamvis non semper
plene, sed juramento etiam purgatorio locum faciant. Nicol.
d. c. 1. num. 75.

§. VII.

Sed quid de arrhis dicendum? nihil frequentius est quam
41 annulo aut aliis donis firmari amores & ex iis imprimis au-
tem annuli datione præsumi sponsalia, unde vulgatum illud,
Ist die Jungfer beringet / so ist sie auch bedinget / sed probe
hic distingendum putamus, utrum annulus aut alia dona
interveniant tantum ad amorem conciliandum & elicien-
dum, an vero in signum & probationem sponsaliorum con-
tractorum: illo casu nulla inde colligi aut probari possunt spon-
salia, aut arrha nomine hæc intervenisse, non enim donum
illud quod pro eliciendo amore datur, statim arrha est,
Sanchez. de Matrim. Lib. 1. Disp. 35. n. 1. in fin. hinc talis do-
natio nuptiis non secutis non restituitur Matth. de Afflit. Dec.
315. num. 7. & in specie ex annuli donatione sponsalia non in-
telligi contracta, docet Sanchez. Lib. 1. de Matrim. Disp. 22.
n. 1. Gutierrez. de Matrim. Cap. 12. num. 1. vid. præjudicium
apud Excell. D. Stryk. in not. ad Brunnem. jus Ecclesiastic. L. 2.
C. 16.

C. 16. §. 12. Vulgatum vero illud proverbium supra allatum vulgo magis, quam veræ & certæ rationi originem debet, munuscula enim talia sunt aliquando magis præcedentia ad Venerem, & sic ad coitum illicitum, quam ad coitum conjugalem, ut loquitur Paris. *Consil. 59. n. 20.* Mascard. *de Probat. Vol. 2. concl. 1033. n. 4. in fin.* posteriore vero casu dicuntur hæc dona arrhæ sponsalitiae quarum datione, *Auswechselung der Mahlschäze* sponsalia contrahi ac clançulum contracta probari consentiunt Ddres vid. Nicol. *de Repud. c. 1. n. 58.* Mev. p. 8. Dec. 39. & licet fint, qui contrarium existimant, arrhas non ab utraque parte sed a solo sposo datas fuisse Cujac. L. 4. *Obs. 27.* Strauch. *Disp. 2. tb. 8.* hanç tamen opinionem non immerito in dubium vocat Lauterb. *in Disp. de Arrha c. 4. tb. 37. & seqq.* & contrariam praxis approbat telle Carpz. p. 3. c. 19. D. 13. quod si ergo à parte utraque arrhæ datae fuerint, wann die Mahlschäze von beiden Theilen ausgewechselt / sponsalia absque dubio inde probantur contracta, quia arrhæ dantur facilioris probationis gratia. L. 3. C. *de Sponsal.* Lauterb. *ad tit. ff. de Sponsal.* & argumentum sunt legale sponsaliorum de præsenti contractorum. L. *Quod sepe ff. de Contrah. Emt.* Zasius *Vol. 2. consil. 3. num. 15.* sed dubium movet, quod arrhæ indicium esse possint contractus perficiendi, arg. pr. J. *de Contrah. Emt.* ubi à contractu sub dispenso arrharum recedere concessum est, quod absque dubio de 42 contractu nondum perfecto intelligendum propter verba d. §. 1. ibi donec, enim aliquid defest ex his, Sed quamvis arrha aliquando etiam contractu imperfecto, & super facienda emtione interveniat, adeoque contractus perfecti non semper nota fit & indicium. L. *contractus 17. C. de Fid. Instrum. Vinn.* ad pr. J. *de Emt.* Vend. n. 12. in præsenti tamen casu, ubi post clandestina dantur sponsalia, non possunt non eorum jam contractorum esse indicium. Mev. p. 8. Dec. 39. n. 5.

F. VIII.

§. VIII.

Per famam quoque volunt probari sponsalia, non autem confundi debet rumor & fama, rumor enim est vox vulgi, & nullos certos authores & causas probabiles habet, sed varia & dubia paucorum susurratio, quæ incerto authore & absque probabili causa emanavit. Alciat. L. 1. Paregr. Cap. 6. Excell. D. Stryk. de Jure Sensuum Diff. 3. c. 1. n. 48. & ejusmodi varia vox populi non attenditur L. 12. §. 1. C. de Panis C. 44. Osius Episcopus 2. X. de Election. & Elec. potest. Fama vero oriatur à personis fide dignis de quarum commido non agitur, & appareat, à qua ratione causam & fortum habuerit. Mascard. de Probat. Vol. 2. Concl. 745. num. 9. an autem & quatenus fama probet nostrum non est hic exponere, id certum est per famam vicinæ probari matrimonium. C. illud X. de præsumt. & consequenter sponsalia, vicinus enim præsumitur scire facta vicini. C. Quosdem 7. X. de Præsumt. C. Quanto 8. X. Eod. Menoch. de Præsumt. Lib. 2. Præsumt. 51. sicut autem in aliis negotiis fama, nisi difficillimæ probationis res fuerint Mascard. Vol. 2. Concl. 754. n. 22. Carpz. Lib. 1. Resp. 65. n. 11. Menoch. Consil. 491. n. 25. non plene probat, nisi alia concurrente adminicula, referuntur huc Doctores verba L. 3. §. 2. ibi: *fama consentiens ff. de Testib.* ubi per famam consentientem intelligunt eam, quæ cum aliis indicis consentit, Farinac. Praxi Crim. L. 2. Tit. 15. qu. 47. n. 50. Excell. D. Stryk. de Jure sensuum Diff. 3. c. 4. n. 22. seqq. 45. ita idem in matrimonialibus obtinet, quænam autem sint præsumtiones famam ita adminiculantes, ut exinde sponsalia probentur, certo determinari nequit, sed Judicis arbitrio committendum, unicum testem non sufficere vult Masc. de Probat. Vol. 2. concl. 1028. n. 2. ex quo infertur, nec semiplène probare famam; Alexander Papa VIII. in c. illud X. de Præsumt. quasdam recentes præsumtiones, quæ cum fama concurrentes probant matrimonium, ut si vir aliquath in lecto & in mensa sicut uxorem tenue-

tenuerit, quod si simili modo ea quæ clandestina urget sponsalia cum sponso in le^{to} visa sit concubere, annon sponsaliorum contractorum indicium inde desumi possit, vix ausim negare, imprimis cum copula carnalis inde facile præsumiatur, per quam sponsalia clandestina firmari supra deduximus, unde & ex osculis & amplexibus perseverantiam consensus aliquando colligit Mascal, de Probat. Vol. 2. concl. 1033. Quod si qui sponsalia clandestina contraxerint, se ut despontati solent, coram aliis gerant, & non tantum ab aliis ita nominentur, sed & se invicem ita nominiant, non potest altera pars ex initiali virtute⁴⁸ pœnitere, exceptionemque clandestinitatis opponere, non tantum, quod talis quisque habendus fit qualem se publice gerit l. 3. ff. ad S^ctum Maced. l. 1. & 2. C. Si min. sc major. dixer. Sed & quod ex nominatione argumentum rei vel facti validum sit, vid. Mev. p. 8. Dec. 39. n. 7. ibique all. Everhard. in Top. Loc. à nomine, nec obstat quod superius diximus, ex sola sponsi appellatione non effici sponsum, id enim procedit, si in literis tantum amatoriis nominatio facta, hic autem supponimus, quod non tantum se invicem ita nominent, sed & ab aliis se nominari patientur.

§. IX.

Et hæc de materia hac ardua attulisse sufficerit, plura quæ addi poterant, dum tempori & sumptibus parcimus, omittimus, DEO ter optimo terque Maximo grates agentes pro præstito a^uxilio submissas, L. autem B. iterum rogatum volumus, ut vitia, quæ adsunt plurima Typographica, & nimia corrigere non permisit festinatio, ipse corrigat.

F I N I S.

Wohl dem, der so wie du mein Freund sich hier erweiset;
Und setzt die Weisheit stets zu seines Glückes Ziel,
Der mit der höchsten Lust nur Tugend-Zucker speiset/
Und schlechte Laster-Kost nicht eben achtet viel/
Der hat den sichern Port des Glückes schon erreicht/
Da sanfte Rosen Lust da lauter Anmut wohnt/
Von dessen Stelle stets die Sorgen-Siechel weicht/
Und eine reiche Saat den sauren Schweiß belohnt.
Dein edler Geist verlangt nicht in dem Staub zu sitzen;
Drum betet Er jezund Apollens Zepter an.
Du willst nur mit dem Glanz der Diamanten blitzen/
Weil ja ein hoher Sinn nichts schlechtes lieben kan.
Wo dieses Oel nun brennt/wo diese Flamme währet/
Da wächst mit höchster Zier der Tugend Lorbeer-Reiz/
Den auch der Dommerkeil des Glückes nicht verzehret/
Wohl dem/ den so befröhnt der unermüdte Fleiß.
Der Jahre Frühling will uns schon den Sommer zeigen/
Da ein erfreuter Lenz uns noch vielmehr verspricht.
Wenn nun das Alter erst sich wird zum Winter neigen
Wie wird nicht brennen dann der Weisheit helles Licht?
Ich wünsche dir demnach des Himmels reiche Güte/
Es fliesst mit vollem Strohm Dir süße Freude zu:
So fahre demnach fort in dieser schönen Blüte/
Bis daß Du Dich begiebst zu einer sanften Ruh.


Mit diesen wenigen Zeilen hat seinem wertheften
Commensali und Stuben-Gesellen sein
Devoir temoignieren wollen

G. S. Festing/
Med. Cult.

ULB Halle
005 703 786

3





DISPUTATIO JURIDICA
De
**SPONSALIBUS
SINE TESTIBUS
CONTRACTIS,**
Von Verlobnissen / so ohne Zeugen
vollenzogen/
Quam
AUXILIANTE DIVINI NUMINIS GRATIA,
CONSENSU
AMPLISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ
in
CELEBERRIMA ACADEMIA ROSTOCHIENSI
PRÆSIDE
VIRO Consultissimo atque Excellentissimo Domino
CASP. MATTH. MULLERO,
U. J. D. ET PROF. INSTITUT. PUBL. DUCAL.
ORDINARIO
famigeratissimo
DOMINO PATRONO AC STUDIORUM PROMOTORE
ETATEM DEVENERANDO.
IN AUDITORIO MAJORI
Ad d. Novembr. A. 1701.
Publicæ Eruditorum Disquisitioni submittit
Christian Friedrich Grampi
Lind. Pom.

ANNO 1706.

